

Omnia hæc pacta licita sunt & justa , dummodo si onus imponatur venditori , augeatur pretium , si autem emptori minuatur , & non intercedat mutuum virtuale ob periculum usuræ , undè damnata est ab Innocent. XI. hæc propositio 40. *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ , Et cum contractu retrovenditionis præviè initio cum intentione lucri ; ut hæc propositio intelligatur , adverte : quod hic contractus contingat , quando quis indigus pecuniae , quam nullibi potest accipere mutuo , emit credito à mercatore summo pretio merces aliquas , illasque , quia iis non indiget , eidem mercatori , postquam emit , statim revendit , ut retento sibi pretio necessitati suæ consulat , & interim summum pretium mercatori debeat , qui contractus , quia solvitur in mutuum virtuale pretii præsentis retenti ab emptore pro majore summâ , ob primam venditionem solvendâ in futurum venditori , ut usurarius damnatur.*

## DISPUTATIO XXXII.

*De permutatione , commodato , censibus &c.*

**Q**uia non tantum res pro pretio mutuo consensu permuntatur , sed etiam res pro re , vel usus aut fructus rei sive gratis , sive sub obligatione pecuniam vel obsequium præstandi transfertur , aliæque per consensum obligationes personis vel rebus per voluntatem contrahentium imponuntur , secundum diversitatem materiæ & formæ varia in jure tum civili tum Canonico contractuum genera præter emptionem & venditionem exprimuntur , quorum obligationes præcipuae ut expendantur sit

QUÆ-

Q U A E S T I O N E I.

*De Permutatione & Cambio.*

PERMUTATIONIS nomen generaliter acceptum comprehendit omnes contractus onerosos tam nominatos, quam innominatos: in omnibus enim aliquid datur pro alio, sive in compensationem alterius rei vel obsequii: strictè est certa rei pro alterâ vicariâ re præstatio, si fiat in rebus à pecuniâ distinctis, dicitur simpliciter permutatio, si fiat in pecuniâ vocatur cambium sive permutatio campforia.

DICO: *Usus principalis pecuniae argenteæ est distractio pecuniae in commutationes... secundarius usus argenteorum vasorum posset esse commutatio.* S. Th. hic Q. 78. a. 1. ad 3.

*Explicatur Conclusio:* Sicut generaliter omnes res erga pecuniâ commutantur, ita etiam possunt quælibet res, si nihil aliud obsteret, ad invicem permutari. Licta etiam est permutatio campforia pecuniarum cum auctuario, quod justo titulo verè subsistente exigitur.

*Prima Pars:* De permutatione rerum patet ex definitione permutacionis, quâ communiter permutatio definitur: contractus innominatus bonæ fidei, quo datur res, ut accipiatur alia res. *Dicitur 1.* Contractus: quia est duorum in idem dandum & accipendum consensus. *2.* Innominatus: quia licet certo nomine vocetur permutatio, hoc tamen nomen non specificum sed genericum est. *3.* Bonæ fidei: per quas particulæ distinguuntur à contractibus stricti juris. *4.* Quo datur: non enim permutatio fit solo consensu sed exigitur rei traditio L. ex placito 3. Cod. de rer. permut. lib. 4. tit. 46. ubi dicitur: *Ex placito permutationis nulla re secuta constat nemini actionem competere;* Et per hoc distinguunt civilistæ permutationem

à venditione: quia tamen ex utroque contractu ex solo  
 consensu in conscientiâ oritur obligatio, hinc melius  
 permutatio à venditione distinguitur à Theologis por-  
 hoc, quod dicitur s. ut accipiatur alia res distinguen-  
 do rem à pretio, emitur enim & venditum res pro pre-  
 tio, permutatur pro aliâ re, quod fieri potest etiam si  
 neutra res sit pretio æstimabilis, sic spiritualia non sunt  
 pretio æstimabilia, ideoque & pro temporalibus om-  
 nino permutari non possunt cap. fin. de rer. permut.  
 lib. 3. tit. 19. possunt tamen spiritualia pro spirituali-  
 bus permutari. Est autem hic contractus licitus: quia  
 salvâ charitate & justitia tantum datur quantum accipi-  
 tur, & sicut exemptionem & venditionem, itâ & per-  
 mutationem induxit necessitas: cum enim non uni  
 Deus omnia dederit, & variis rebus homines indi-  
 geant, ipsa naturalis ratio dictat, æquum esse, ut  
 permutatione rerum homines mutuæ necessitati suc-  
 currant. Permutare autem possunt ii omnes & soli,  
 qui possunt alienare: quia alienationis verbum conti-  
 net conditionem donationem venditionem permutatio-  
 nem cap. nulli de rebus Eccl. non alien. lib. 3. tit. 13.  
 permutatione siquidem simpliciter transfertur rei date  
 & acquiritur acceptæ dominium, ac proinde eadem  
 juris solemnitates ad permutationem requiruntur,  
 quæ ad alienationem, ut valeat, quamvis penas in-  
 debitè alienantium non incurrat male permutans,  
 nisi permutatio sit omnino per traditionem completa;  
 cum alias necdum sit alienatio perfecta; odia autem ex  
 regulâ juris debent restringi. Denique hæc inter  
 exemptionem & venditionem ac permutationem est diffe-  
 rentia ex parte materiæ, quod omnes illæ res possint  
 permutari, quæ possunt vendi, non autem solæ:  
 quia res spirituales & beneficia Ecclesiastica non possunt  
 vendi, possunt tamen cum certis solemnitatibus &

con-

De Pa  
 conditio  
 plura hu  
 2da.  
 pecunia  
 & camp  
 quia in il  
 Cambio  
 senti, &  
 biuum fr  
 Dein  
 & real  
 Cambi  
 quenter  
 cisè ob  
 cuniarun  
 & hoc e  
 formæ m  
 itales pro  
 ià præse  
 pliciter v  
 a per se v  
 velut pec  
 biuum ver  
 locale, p  
 sonem, c  
 uncipit  
 congeren  
 pecunia,  
 pienda,  
 solution  
 dinere,  
 cum ven  
 accipitur  
 cultura; i  
 to quo

DE PERMUTATIO. COMMODO, CENSIBUS &c. 229  
conditionibus (de quibus in materia de Simonia ubi  
plura huc spectantia expenduntur) permutari.

2da Pars explicatur : Cambium est permutatio  
pecuniae pro pecuniâ inter camporem , qui numerat,  
& campsarium , cui numeratur , differt à mutuo :  
quia in illo non statim pecunia mutua est repetenda, in  
Cambio verò etiam datur pecunia præsens pro præ-  
senti , & dilatio habet se per accidens , item Cam-  
bium sit in solâ pecuniâ , mutuum etiam in aliis rebus.

Deinde Cambium dividitur in *siccum*, sive fictum  
& *reale* sive verum , *siccum* est tantum apparenter  
*Cambium*, revera autem mutuum palliatum , & conse-  
quenter usurarium : cum auctuarium accipiatur præ-  
cisè ob dilationem solutionis , *reale* est legitima pe-  
cuniarum permutatio interveniente aliquo vero titulo,  
& hoc est duplex : *Manuale*, in quo pecunia unius  
formæ mutatur pro pecuniâ alterius formæ v. g. impe-  
riales pro Ducatis in auto , & *locale* quo mutatur pecu-  
nia præsens pro absente secundum locum, quod fit du-  
pliciter vel si Campor pecuniam præsentem det hic,  
ut per se vel suum correspondentem eam alibi recipiat,  
vel ut pecuniam accipiat hic , & alibi restituat. Cam-  
bium verum sive reale licitum esse tam manuale quam  
locale, probatur : quia quod in Cambio datur ultra  
sortem , datur ob titulos pretio æstimabiles , quales  
sunt puritas vel raritas monetæ , labor Camporis in  
congerendâ , asservanda , numeranda omnis generis  
pecunia , assecuratio Campsarii de pecuniâ alibi reci-  
piendâ , ejusdem ad alium locum translatio , liberatio  
solutione tabelarii & periculo amittendi pecunias in  
itinere , lucrum cessans & damnum emergens. Sic-  
cum verò , in quo sine his titulis revera ob mutuum  
accipitur auctuarium, est illicitum : quia est palliata  
usura ; unde Cambium , quod vocant Francofurtense  
eo quod , quo remotius absunt nundinæ annuæ à

dato Cambio, eo majus detur auctuarium, est illicitum & usurarium: quia pars auctuarii datur ob temporis dilationem, quod ut alienum vendere Campsor non potest. Si vero adsit ex enumeratis aliquis titulus, licet recipitur majus auctuarium. Idem dicendum est de Cambio cum recambio, quod dicunt placentium & consistit in eo, quod Campsor tradat Campsario pecuniam v. g. Coloniæ, ut eam solvat Venetiis; quia vero Campsarius nec pecunias nec correspondentem Venetiis habet, qui pecunias solvat, offert ipse Campsor suum factorem Venetiis, qui nomine Campsarii pecuniam solvat, eamque deinde Coloniam, ubi Campsor primò pecuniam Campsario numeravit, per recambium remittat, sicque Campsor Cambio & recambio lucrum reportat, quod videtur usurarium & mutuum palliatum: quia litteræ cambiales tantum pro forma mittuntur venetas, ubi Campsarius non habet pecunias nec correspondentem, imo ubi nequidem indiget pecuniis sed per correspondentem Campsoris recambium inire debet, quo iterum pecuniae transferantur Coloniam; *Addit:* quod totum negotium agatur pure in gratiam Campsoris & à Campsario solvatur, adversarii etiam fatentur Cambium hoc esse periculum propter usuram & merito prohibendum & non esse licitum, nisi multis moderationibus & conditionibus adhibitis.

*Ex his inferitur:* Ut Cambia sint licita, requiruntur sequentes conditiones 1. Ut nihil exigatur pro sola dilatione. 2. Ut sint sine fraude & simulatione. 3. Ut servetur justum pretium, quod lege vel consuetudine aut prudentum aestimatione consideratis laboribus, industria, expensis taxatum est, his de jure naturæ requisitis addidit S. Pius V. in Bullâ desuper editâ sequentia.

Primo ne concedatur alteri pecunia solvenda in loco, ubi nullum habet nec habere potest corresponden-

De PERMUTATIO. COMMODATO, CENSIBUS &c. 231  
dentem cum præsumptione eam recipiendi in loco , ubi  
eam concessit. Quibus verbis prohibetur Cambium  
placentinum.

Secundo ne fiat pactum de determinato lucro cessante  
aut damno emergente solvendo , si Campsarius deter-  
minato tempore non solverit.

Tertio ne Campsor protrahat terminum solutionis,  
si propterea Campsarius promittat majus lucrum.

Quarto ne fiant Cambia ad duas vel tres nundinas:  
puta cum majori lucro quam ad primas.

Quinto ne termini solutionis statuantur longiores,  
quam postulet distantia locorum.

Finaliter adverte: quod pecunia Campsoris in Cam-  
bio habeat se sicut quædam merx , & pecunia Camp-  
sarii sit veluti pretium , cuius valor quoad usum com-  
munem taxatus quidem est , quando est cusa , usus  
vero secundarius taxatur ex titulis suprà adductis ; undè  
pretium Cambii variatis circumstantiis potest variari ,  
crescere & decrescere , ut fit in aliis mercibus.

## Q U A E S T I O II.

### De Commodo & deposito & ceteris.

C Ommodatum dicitur quasi commodo alterius da-  
tum : ut eo videlicet utatur ; depositum vero  
quod alterius fidei traditur custodiendum , his contra-  
ctibus gratuitis vicini sunt alii videlicet precarium &  
mandatum.

DICO 1. Quando aliquis tradit rem suam alteri  
concedens ei usum rei cum debito recuperandi rem ...  
vocatur ... accommodatum in rebus , qua non fructi-  
ficant. S. Th. hic Q. 61. a. 2. O.

Explicatur Conclusio: In hoc differt commodatum  
ab aliis contractibus , quod in commodato non domi-  
nium rei aut ipsa res quoad proprietatem , sed solum  
usus certus & determinatus rei in aliud transferatur,

quo finito eadem res restituenda est, unde definitur **commodatum**: alicujus rei ad aliquem specialem seu certum usum gratuitò facta **concessio**. Differt igitur **commodatum** à **contractu mutui**, quod in mutuo transferatur ipsum rei dominium, à locatione & conductione, per particulam gratuitò: quia in locatione conceditur usus pro certâ mercede, à contractibus in nominatis: dicitur &c. in quibus pro aliâ re vel aliquo faciendo res datur; materia hujus contractus sunt omnes res usu non consumptibiles, qualis ex hoc oriatur obligatio restituendi & qualis culpa requiratur, dictum est Disp. XXIX. ex hoc contractu oriuntur duæ actiones. Prima directa, quam **commodans** ejusque hæredes habent contra **commodatarium** ejusque hæredes, ut restituant rem **commodatam** usu finito in specie salvam & integrum, aut si perdita vel deteriorata fuerit, præstent estimationem & interesse, nisi res eo usu ad quem concessa est, sine culpâ **commodatarii** facta fuisset deterior L. 10. in princ. ff. **commod.** lib. 1 p. tit. 6. & in L. fin. eod. tit. hic casus resolvi ur: *Si commoda vero tibi equum, quo uteroris usque ad certum locum, si nullâ culpâ tuâ interveniente in ipso itinero deterior equus factus sit, non teneris commodati, nam ego in culpâ ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem sustinere non potuit.* Ex quo patet, quod actio non competat **commodanti** si scienter ad usum concessit, quo res deteriorata est sine culpâ **commodatarii**. Secunda actio contraria. quæ convenit **commodatario** adversus **commodantem** & ejus hæredes, ut reparent **damnum** vel ob intempestivam rei **commodatæ** revocationem, aut ex dolo vel culpa lata **commodantis** ortum; tenetur præterea **commodans** refundere expensas extraordinarias à **commodatario** in rem **commodatam** factas.

Quod si res detur non ad certum tempus aut ad certum

DE PERMUTATIO. COMMODO, CENSIBUS &c. 233  
tum usum dicitur *precarium*: quod definitur: con-  
tractus gratuitus, quo precibus perenti res gratis uen-  
da conceditur nullo utendi vel fine vel modo præ-  
scripto cap. *precario 3.* de *precariis*, lib. 3. tit. 14.  
requiruntur ad *precarium* Primo consensus tam dantis  
quam accipientis: cum sit contractus; secundo traditio:  
quia est *contractus realis*, qui re perficitur. Tertio  
ut qui *precario* dat, possit quandocunque voluerit,  
rem *precario* concessam repetere.

*Q. Quot modis cesset *precarium*?*

*R. Cessat *precarium* 1mo Per mortem, non con-  
cedentis, sed illius cui est concessum. Ratio 1ma  
Partis est: quia *precarium* est gratia concessa, que  
tamdiu durat, quamdiu non revocatur, gratia autem  
facta non revocatur per mortem concedentis cap. si  
super 9. de officio delegati in 6. lib. 1. tit. 14. Ratio  
2da Partis est: quia *precarium* est beneficium perso-  
nale, quod cum personâ extinguitur juxta R. 7. J. in 6.*

*ib. 13. 2do Cessat *precarium* per revocationem: licet enim  
dans *precario* ad modicum tempus rem *precario* datam  
teneatur relinquere accipienti, ne videatur voluisse  
illudere; atamen quandocunque placuerit, repetere  
potest rem *precario* concessam; haec revocatio vel est  
expressa, vel tacita, qua tunc contingit, quando ille,  
qui *precarium* concessit, rem taliter concessam aliena-  
vit, quâ alienatione factâ successor *precario* concessum  
repetere potest juxta cap. 3. de *precariis*, si verò suc-  
cessor sive universalis: ut hæres, sive particularis: ut  
empor, donatarius: rem *precario* concessam non  
repetat censetur tacite eandem rem *precario* concedere  
L. quæsituim 8. §. 1. ff. de *precario* lib. 43. tit. 26.*

*D.CO 2. Depositum traditur in utilitatem de-  
ponentis. S. Th. 1. 2. Q. 105. a. 2. ad §.*

*Explicatur & probatur Conclusio: In qua sumitur  
depositum pro re depositâ, ex definitione contractus de-*

positi: contractus realis bonæ fidei, quo res aliena gratis custodienda alteri traditur eâ lege, ut quando cunque rem depositam repetierit, depositarius sit obligatus illam in eâdem specie restituere, ex quâ definitione patet, quod depositum non in utilitatem accipientis, qui nullam ex deposito utilitate percipit, si enim pro custodiâ rei aliquid accipiat, non est strictè contractus depositi, sed contractus innominatus: do ut facias, sed in deposito onus custodiendi suscipitur omnino gratis, si res deposita non sit litigiosa, vocatur depositum; si verò res litigiosa ab utrâque parte litigantium alicui tertio custodienda tradatur, eâ lege, ut qui suscepit pendente lite illam rem custodiat & finitâ lite victori extradat, vocatur sequestrum. L. 110. ff. de V. S. lib. 50. tit. 16.

*Q. 1 Quo uplex sit depositum?*

R. Variè dividitur depositum 1. Aliud est voluntarium, quod nullo imminentे periculo, sed ex merâ fiduciâ & voluntate contrahitur L. 1. ff. h. t. lib. 16. tit. 3. aliud necessarium, quod soleret vocari lachrymabile vel miserabile factum, dum cogit instans necessitas sive morale periculum rem depositam perdendi, nisi deponatur, ut depositum causa incendi, ruinæ, incursum hostium vel naufragii factum, hoc depositum speciale habet privilegium, si præterito periculo depo nens rem depositam repeatat & depositarius dolosè neget depositionem, aut restituere recuset depositum, convictus in pœnam negationis condemnandus est non solum rem depositam, sed duplum restituere. 2. Aliud est depositum regulare, quod nullum alium contractum admixtum habet: ut quando pecunia in cistâ clausâ vel obsignatâ deponitur, aliud irregulare, quod alium contractum admixtum habet, sive continet virtuale mutuum: ut si deponatur pecunia nec obsignata nec clausa sed numerata, tunc eo ipso est vir tuale

De PERM  
tuale mutuo  
positarius  
impribiliter  
stanti pericu  
3. Aliud el  
ditori justè c  
stratum vel i  
esse in mora  
rem transfe  
depositum  
à ratione  
rum facti  
consuevit.

*Q. 2 C  
sit?*

R. Dep  
le contrahe  
bodia comi  
in propria  
possunt auto  
Nante, Cau  
res in ipsoru  
ur, eo ipso

*Q. 3 Q  
R. Oblig  
in custodiā  
sustodie, ut  
ab illius  
ponentis co  
nuntiere censi  
a concessa,  
manetur ad ri  
sulferit. T  
pro deposito  
peti, vel cu*

DE PERMUTATIO. COMMODATO, CENSIBUS &c. 235

aliena  
uando-  
fit obli-  
defini-  
n acci-  
ipit, l  
t stricti-  
uiatur;  
suscipi-  
sa, vo-  
ue pan-  
ea leg-  
iat & s

tuale mutuum & in matuum transit depositum, si de-  
positarius pecuniam vel aliam similem rem usū con-  
sumptibilem loco moveat, & consequenter ab illo in-  
stanti periculum rei depositæ est apud depositarium,  
3. Aliud est depositum juris, quando res debita cre-  
ditori justè oblata & ab illo injustè recusata apud Magi-  
stratum vel Ecclesiam deponitur, ne debitor dicatur  
esse in morâ, & ut periculum rei depositæ in credito-  
rem transferat, ac deobligetur à solvendo interesse, hoc  
depositum, quia non datur principaliter ad custodiam,  
à ratione stricti depositi excluditur, aliud est deposi-  
tum facti vel conventionale, quod inter privatos fieri  
consuevit.

L. 110 Q. 2 Quinam possunt obligari contractu depo-  
siti?

R. Deponere & suscipere depositum possunt, qui  
se contrahendo possunt obligare; res autem cuius cu-  
stodia committi potest, eadem & deponi potest, sive  
sit propria sive aliena, sive mobilis sive immobilis,  
possunt autem res deponi vel expressè vel tacite v.g.  
Nautæ, Caupones, Stabularii scientes, quod à viatore  
res in ipsorum navim Stabulum aut Cauponam infera-  
tur, eo ipso custodiā rei in se suscipiunt.

Q. 3. Quænam sint obligationes depositarii?

R. Obligationes depositarii sunt, 1. Debet rem  
in custodiā receptam tamdiu retinere, donec causa  
custodiæ, ut absentia, incendium, lis mota cessarit, &  
ab usu illius rei depositæ secluso expresso vel tacito de-  
ponentis consensu abstinere, alioquin furtum com-  
mittere censetur: non enim usus, sed sola custodia est  
ei concessa. 2. Si res deposita pereat aut deterior fiat,  
tenetur ad reparationem, si dolus vel culpa lata inter-  
cesserit. Tenetur etiam ad culpam levem, si seipsum  
pro depositario obtulerit vel aliquid pro custodiā rece-  
perit, vel culpam levem in contractum deduxerit; uti  
etiam

etiam ad casum fortuitum obligatur, si vel culpa lata vel mora vel pactum de casu fortuito præcesserit Cap. bona 2. h. t. ex quo bona fides abesse præsumitur, si rebus propriis salvis res depositæ perierint, unde debet suam innocentiam probare depositarius, qui proprias res æquè pretiosas aut pretiosiores præferre potest rebus depositis. 3. Debet rem in specie id est eandem numero absque omni mora & exceptione deponenti depositum postulanti restituere Ex his obligationibus oritur in deponente adversus depositarium actio directa depositi.

*Q. 4. Ad quid obligetur deponens?*

*R. Obligatio deponentis est servare indemnem depositarium. 1. Reparando damna, quæ dolo aut culpa deponentis depositario acciderunt, 2. Refundendo expensas in rem depositam factas resarciendo damnum in rebus propriis depositarii, ut salvaret rem deponentis, & potest depositarius tamdiu negare depositum, donec illa damna deponens compenset, ad hoc enim deponens sese deponendo obligavit; ex his in depositario oritur actio adversus deponentem contraria depositi.*

*Q. 5. Potestne aliquando depositum deponenti negari?*

*R. In sequentibus casibus potest depositarius deponenti rem depositam repetenti negare. 1. Si ex redditione depositi prudenter timeatur periculum alicujus damni spiritualis vel temporalis, aut deponenti aut proximo obventuri: ut si furiosus repeatat gladium depositum Can. ne quis 14. Caus. XXII. Q. 2. 2. Si bona deposita sint fisco addicta, tunc enim non deponenti sed fisco sunt extradenda L. bona fides 3 1. ff. h. t. 3. Si Dominus & fur deponens simul concurrant in repetendo rem depositam à fure, tunc depositum non furi sed vero Domino est restituendum. 4. Si fur rem furto*

DE PERM  
futto ablata  
sciens rem c  
restituere L  
Quia eti  
solius man  
genda sunt.  
1. Man  
fuscipit in S  
exequendu  
comuniti  
bus ad ex  
& induc  
nem, ali  
alio restua  
quis pernit  
tunc enim  
L. 18. ff. 1  
quo cuncta  
iale, qui  
Aliud est ja  
dam, aliud  
extra judici  
el cum plen  
tula destitut  
2. Licet  
mandatarii  
billius tam  
non erant  
qua sancti  
tarat dolum  
dum & pi  
pam: quo  
villima eni  
ratio alicui  
mandato;

furto ablatam apud Dominum depositum, Dominus resciens rem depositam esse suam non tenetur depositum restituere L. cit.

Quia etiam contractus mandati cedit in utilitatem solius mandatoris, aliqua circà mandatum hic subjungenda sunt.

1. Mandatum est contractus quo aliquis gratuitè suscipit in se honestum aliquid officium seu negotium exequendum, aliud est *expressum*: quo negotium committitur vel formalibus verbis vel signis sufficientibus ad exprimendum internum consensum mandantis & inducendum mandatarium ad negotii acceptationem, aliud *tacitum*, quo quis sciens patitur, ut ab alio res sua agatur, dum scilicet præsens & tacens aliquis permittit, ut alter pro se fidejubeat aut solvat; tunc enim silentium est loco sermonis & mandati ex L. 18. ff. lib. 17. tit. 1. mandat. Aliud est *generale*, quo cuncta sua negotia alteri quis committit, aliud *speciale*, quod datur ad certum duntaxat negotium. Aliud est *judiciale* ad rem quam piam in judicio peragendam, aliud *extrajudiciale* ad perficiendum negotium extrà judicium. Aliud est mandatum *cum libera*: id est cum plenâ potestate, aliud est mandatum tali clausulâ destitutum.

2. Licet communissima Juristarum sententia teneat mandatarium teneri ex culpâ etiam levissima, probabilius tamen videtur, mandatarium teneri ex culpa levi non etiam levissima ex R. J. 23. ff. lib. 50. tit. 17. quâ sancitur: depositum ac precarium præstare duntaxat dolum, mandatum verò & commodatum, venditum & pignori acceptum &c. Præstare dolum & culpam: quo nomine intelligitur in jure culpa levis: levissima enim culpa non imputatur, nisi ubi specialis ratio alicujus contractus id exigit, qualis ratio non est in mandato; siquidem leges amicitiae, ex qua suscipitur

mandatum, non exactissimam, sed quam diligentiores præstare solent, exigunt industriam & curam in negotio prudenter peragendo.

3. Mandatarius debet accurate limites mandati observare, nec nisi illa, quæ cum re mandata necessariæ connexa sunt, præter negotium commissum exequi, deinde licet mandatum sit generale, ab eo tamen excipiuntur casus quidam, qui de jure exigunt speciale mandatum, talia sunt 1. Restitutio in integrum, quæ alterius nomine sine speciali mandato peti non potest, exceptis Curatoribus, Oeconomis, Prælatis, atque aliis patrimonii alieni Administratoribus, qui sicut sine speciali mandato possunt juramentum calumniæ præstare, ita & restitutionem in integrum petere. 2. Speciale mandatum requiritur ad tertium nomine alterius in causa famam concernente accusandum 3. Ad matrimonium & sponsalia alterius nomine contrahenda 4. Ad jus pignoris vel hypothecæ remittendum. 5. Ad obtainendum interdictum de exhibendis liberis 6. Ad impetrandas litteras Apostolicas in ordine ad litem 7. Ad alienandas res mandatoris 8. Ad transigendum nomine alterius 9. Ad deferendam & præstandum juramentum in eo, qui non est administrator omnium bonorum 10. Ad pecuniam exhibendam ejus nomine, qui duos omnium rerum suarum administratores constituit, neutri enim competet mandatum super pecuniis, nisi mandator nominatim præceperit, ut alter ab altero petat pecuniam; si alicui datum mandatum cum libera, potest omnia illa, quæ verosimiliter Dominus esset facturus.

### Q U A E S T I O III.

*De censibus, hypothecâ, emphyteusi &c.*

**N**ota 1. Census est jus redditus annuos ex re vel ex industriâ alienâ provenientes percipiendi,

con-

DE PERMUTA  
contractus  
vendit dicitur  
quo fundatur  
quando intellexit  
ipsa Pensio va-  
cans censuali  
Nota 2.  
tivum & cor-  
alterum donum  
reservato suum esse  
quo quis pensionis  
piendit fructus  
fratribus, potest  
transferte,  
qui immediat-  
er, quâ rehypothec-  
aliamque ob-  
sequum p-  
te personam  
1. Dividitur  
in pecunia,  
fructuum,  
vel ad certum  
plurimum v-  
bus vel est in  
parte utriusque  
DICO 1.  
modo persi-  
b. 3. tit. 39  
Ex quo in  
tam perpetua  
licitus modi-

DE PERMUTATIO. COMMODO, CENSIBUS &c. 239

contractus censualis est emptio talis juris, qui tale jus vendit dicitur censuarius, qui emit censualista, id, in quo fundatur census, res censa, nomine census aliquando intelligitur jus percipiendi censem, aliquando ipsa Pensio vel Canon annuus, aliquando ipse contractus censualis.

*Nota 2.* Contractum censualem dividit in reservatum & consignativum, *reservatus est*, quo quis in alterum dominium transfert tam directum quam utile, reservato super re jure pensionis annuae; hunc contractum esse licitum nullus dubitat; *consignatus est*, quo quis super re aut personam suam consignat alteri jus pensionis: cuin enim Dominus rei habeat jus percipiendi fructus tum ex sua tum ex operis suis & industria, potest tale jus vel in toto vel in parte in alium transferre, hic contractus subdividitur 1. In realem, qui immediatè rem aliquam alteri ad pensionem obligat, quare pereunte ipse census perit, in quo differt ab hypotheca. Personalem, qui fundatur in persona illamque obligat ad pensionem, & mixtum, qui tam in re quam personam immediatè fundatur, sic ut pereunte re persona adhuc maneat obligata ad pensionem. 2. Dividitur in pecuniarium, ex quo pro pensione datur pecunia, & fructuarium, ex quo debetur pars fructuum. 3. In perpetuum & temporalem, qui vel est ad certum vel ad incertum tempus v.g. ad unius vel plurium vitam, & tunc vocatur vitalitus. Perpetuus vel est redimibilis idque vel ex parte unius vel ex parte utriusque, vel est redimibilis.

DICO 1. Oportet... ut omnis census, ad quidcumque persolvi debeat, praesciat cap. pervenit s. lib. 3 tit. 39 de cens. &c.

Ex quo intetur: quod census realis consignatus tam perpetuus quam redimibilis ex parte venditoris sic licitus modo servetur pretium, quod lex vel loci consuetudo

suetudo approbat. Ut etiam ostenditur ex variis Pontificum constitutionibus (speciatione S. Pii V. constitut. 70, quæ incipit: cum onus, & habetur Tom. 2. Bullar. in quo dictus Pontifex absolutè hos census etiam redimibiles declarat esse licitos, unde à fortiori sequitur irredimibiles esse licitos: cum enim in illis pretium nunquam recuperetur, minus accedunt ad usuram. Apponit quippe censibus illis certas conditiones, quas in eorum constitutione & solutione servari vult: ergo supponit eos absolutè esse licitos. *Ratio autem est:* quia contractus censualis est vera emptio & venditio, quâ censualista justo pretio à lege vel consuetudine approbato emit verum jus ad pensiones annuas ex re censita percipiendas, quod jus potest gratis donari vel testamento legari; ergo etiam emi & vendi: cum sit justo pretio estimabile; sic juxta omnes justè eini possunt census veteres & fructuarii; differt autem hic contractus à mutuo, quod censualista non possit summam à se datam repetere, quod pereunte re in quâ census fundatur, pereat etiam census.

*Obj. 1.* Jus, quod non præexistit, non potest vendi; sed jus ad annuam pensionem non præexistit venditioni, ergo non potest vendi; ergo contractus censualis non est vera emptio, sed mutuum palliatum.

*Res. Negando mi.* Quia jus illud præexistit in censuatio, non quidem in ratione census sed ut inclusum in jure, quod habet in rem & omnia rei emolumenta.

*Obj. 2.* Est usura dare centum pro præsenti pro centum & decem pro sequenti anno solvendis; ergo etiam est usura dare centum in præsenti pro centum & decem imo ultra intra triginta annos solvendis, ut sit in contractu censuali, in quo dantur quinque pro centum

De PERM  
num & con  
pitale.

re. Neg  
præfens pro  
rum jus, q  
non ad sumi  
fi s certo te  
longa interv  
incertitudi  
jus ad pen  
estimation  
longè min  
acceptarun  
fructiferi,  
etus percipi

*Obj. 3.* I  
ipsas pensio  
centum & d  
num pro ju  
decem anno

re. Nega  
valde enim c  
peruniam;  
Exeadem  
tensus perfor  
trum de ce  
omnes condi  
census perfe  
emptionis;

contrahentiu  
lunc contra  
potest mutu  
quia ex eade  
tes suas, q  
deinde ad defi

1. 1. T

DE PERMUTATIO. COMMODATO, CENSIBUS &c. 241  
tum & consequenter intra viginti annos redditum Ca-  
pitale.

R<sup>e</sup>. Negando seq. Quia in censu non datur pecunia præsens pro futura, ut fit in mutuo, sed emitur verum jus, quod computatur inter bona immobilia, non ad summam simul & se mel sine periculo & molestia certo recipiendam, sed ad pensiones successivas per longa intervalla, adeoque moraliter non sine periculo, incertitudine & molestiis recipiendas, unde licet illud jus ad pensionem sit quasi infinitum, prudenti tamen æstimatione non æstimatur nisi pretio finito, adeoque longè minoris, quam valeat cumulus pensionum simul acceptarum, sicut finitè æstimatur dominium fundi fructiferi, licet contineat jus ad annuos redditus & fructus percipiendos quasi in perpetuum & infinitum.

Ob. 3. Idem est emere jus ad pensiones, & emere ipsas pensiones, ergo sicut est usura dare centum pro centum & decem, ità etiam est usura palliata dare centum pro jure ad centum quinquaginta imperiales intra decem annos successivè recipiendos.

R<sup>e</sup>. Negando ant. Quia Jus ad rem non est ipsa res: valdè enim differunt habere pecuniam & habere jus ad pecuniam: ut patet, quando jus est litigiosum.

Ex eadem ratione etiam ostenditur, quod licitus sit census personalis, licet constitutio S. Pii V. loquatur tantum de censu reali: quia contractus, qui habet omnes conditiones justæ emptionis est licitus, sed census personalis habet omnes conditiones justæ emptionis; ergo. Probatur mihi. Imprimis est liber contrahentium consensus, ut supponitur; licet enim hunc contractum censualem ineat pauper, qui non potest mutuum gratis habere, id tamen non obstat: quia ex eadem necessitate sæpè cogitur pauper vendere res suas, quæ tamen venditiones sunt justæ & licite; deinde adest justum pretium & secundum æstimatio-

2. 2. Theol. Schol. Pars posterior. Q nem

nem Reipublicæ commensuratum suæ merci , quæ merx est jus accipiendi pensionem annuam vel censem fundatum super operas & industriam suæ personæ: uti enim persona suas operas pro certo pretio potest alteri elocare , ita etiam jus ad partem lucri personalis potest alteri vendere ; ergo adsunt omnia requisita ad justam emptionem,nec S. Pius V. census personales declaravit usurarios , sed ob periculum usuræ illos prohibuit, quæ tamen prohibitio in Germania non videtur esse recepta ; adducta Ratio etiam probat contractum censualem personalem redimibilem vel ab una vel utraque parte de se esse licitum : sicut enim in emptione alterius rei potest adjici pactum de retrovendendo, dummodo augeatur & minuatur pretium cum proportione oneris , quod emptori vel venditori imponitur ita etiam in emptione census redimibilis ex parte vendoris & irredimibilis ex parte emptoris pretium ex consuetudine taxatum est centum pro quinque imperialibus , si addatur pactum retrovenditionis in gratiam emptoris. ut ipse emptor Capitale pro libitu repetere possit , pensio annua diminui debet & v.g. dari annuatia vel quatuor pro centum. *Dixi* : hos contractus de se esse licitos ; quia ut in particulari liciti sint , requiruntur hæc conditiones. 1. Ut census realis sive redditus annuus constituatur in re frugifera , ex qua pensio tempore suo debita sive immediate solvi possit , undè debet esse ita frugifera , ut ordinariè sufficienes fructus ferat ad censem solvendum deductis expensis & laboribus in fructibus colligendis , quare census constitui potest non solum super re immobili sed etiam mobili , quæ ipso usu non consumitur , immo super ipsum censem aliis novus census adhuc fundari potest & constitui , dummodo census ille , super quo aliis fundatur , sit perpetuus & irredimibilis. 2. Ut justo pretio census ematur , est autem justum pretium ,

quod

De Peru  
quod velle  
dicio prud  
Romano i  
bili justum  
Anno 154  
nuo vel ce  
imperialis i  
ptimum ce  
utrimque  
quia pret  
lex & cor  
setur , qu  
minatum e  
censuarii pe  
ra in toto ve  
parte : qui  
Domino ,  
bet ad pens  
us perit re  
quod si tam  
ero Anno n  
Censuario v  
modo reliqui  
anno compen  
s obligatur Cen  
sa , vel illun  
tem subiect  
dienetur nec  
difficuler &  
mptor habe  
bit obligati  
memfieri de  
Q. 1. A  
w.g. an ill

DE PERMUTATIO. COMMODO, CENSIBUS &c. 243  
quod vel lege vel consuetudine aut his deficientibus ju-  
dicio prudentum taxatum fuit, & quidem in Imperio  
Romano in censu perpetuo ex parte venditoris redimi-  
bili iustum pretium à Carolo V. in comitiis Augustianis  
Anno 1545. taxatum fuit 20. florenis pro uno an-  
nuo vel centum pro quinque &c. quanquam, ubi lex  
imperialis non est promulgata vel usu recepta, justum  
pretium censeri possit, si etiam in contractu censuali  
utrumque redimibili centum pro quinque solvantur:  
quia pretia rerum non consistunt in indivisibili & ubi  
lex & consuetudo non taxavit pretium, id justum cen-  
setur, quod communi prudentum aestimatione deter-  
minatum est. 3. Si res censi subjecta absque culpa  
censuarii pereat vel in perpetuum sit reddita in fructife-  
ra in toto vel in parte, perit census vel in toto vel in  
parte: quia quælibet res, per se loquendo, perit suo  
Domino, sed censualista est Dominus iuris, quod ha-  
bet ad pensionem ex te censuali percipiendam, quod  
jus perire pereunte, in qua census est constitutus;  
quod si tamen res censualis ad tempus solum uno vel al-  
tero Anno nullos fructus ferat, adhuc pensio annua  
Censuario vel Domino fundi censualis solvi debet,  
modo reliquis annis tantum ferat, quantum ad solven-  
dam pensionem sufficit, ita ut damnum sterilitatis alio  
anno compensetur; si autem culpa Censuarii res pereat,  
obligatur Censarius censualistæ reddere pretium Cen-  
sus, vel illum super alia re constituere. 4. Ut res  
censi subjecta in scio censualista vel emptore census non  
alienetur nec transferatur in alium, à quo pensio annua  
difficulter & minus securè obtineti posset: quia cum  
emptor habeat jus ad rem censi subjectam, eaque  
illi sit obligata, non debet illud jus per alienationem  
talem fieri deterius cum damno emptoris census.

Q. 1. An census augeri possit ex pensionibus debi-  
tis v.g. an ille qui percipit censem annuum quinque pro

Q. 2

cen-

centum, si pensionibus etiam debeantur centum, posse exigere decem?

**R<sup>e</sup>. 1.** Censum augeri posse ex pensionibus debitibus & numeratis, si easdem censualista numeratas numeret **Censuario**; ex constitutione vero S. Pii V. ob pensiones debitas nondum solutas census aut pensio annua augeri nequit, ne Censuarius censuum censibus vel pensionum pensione opprimatur, ex jure tamen naturae id non videtur illicitum, si pensiones debitae eti nondum solutae loco pretii novi census tradantur **Censuario**.

**Q. 2.** In qua moneta solvendi sunt census ab antiquo solvi soliti?

**R<sup>e</sup>. 1.** Mutato valore intrinseco monetæ videlicet in materia vel pondere vel in moneta antiqua vel secundum estimationem monetæ antiquæ solvendi sunt census, nisi jam per lapsum temporis præscriptione aliud introductum sit, ita sumitur ex cap. olim 20. de cens.

**2.** Mutato valore extrinseco videlicet pluris vel minoris valeat v.g. Ducatus vel Thalerus, si aliud conventum non fuerit expressè aut præscriptione inductum, solutio census est facienda secundum valorem extrinscum sive estimationem respondentem temporis empiri census, de hoc plura Disput. sequente.

Pro resolutione secundæ partis Quæstionis.

**Nota** Hypotheca differt à pignore (quod nomen sumitur vel pro ipsa re oppignorata vel pro jure reali quod habet creditor in re oppignorata vel pro ipsa oppignoratione, quæ est conventio, qua res aliqua obligatur creditor i securitatem debiti) quod hypotheca plerumque sit rei immobilis & solo consensu perficiatur: videlicet voluntate debitoris rem suam immobilem creditor obligantis in securitatem debiti, pignus verò à pugno dictum, quod manibus

DE PERMUTATIO. COMMODATO, CENSIBUS &c. 245  
bus tradatur potissimum sit rei mobilis, quæ tradi-  
solet & rei traditione perficiatur à debitore credito-  
ri facta, ut tam diu rem retineat, donec debitum  
solvatur, licet alias quoad effectum non differant,  
cum ex hypotheca nata actio hypothecaria in securi-  
tatem debiti extinguatur, & ex pignore orta actio  
pignoratitia dissolvatur soluto debito, unde indiffe-  
renter de utroque agitur & dividitur hypotheca &  
pignus in expressum & tacitum: pignus vel hypo-  
theca expressa fit ex partium conventione, vel est  
generalis, qua omnia bona debitoris obligantur  
creditori, vel specialis in re certa puta: domo,  
fundo &c. constituta, tacitum est, quod vel solo  
tacito consensu constituitur, quale habet dominus  
in rebus in prædium urbanum à conductore illatis,  
ut ibi perpetuò remaneant, & in mercibus non qui-  
dem in individuo sed in genere, cum speciebus alie-  
natis semper aliæ succedant (res illæ in prædium  
rusticum solâ expressâ conventione oppignorantur)  
vel absque hominum facto à lege inducitur, ita ma-  
ritus obligata habet sibi bona uxoris pro dote dan-  
da, & uxor bona mariti pro eadem restituenda I.  
unicâ §. 1. Cod. lib. 5. tit. 13. de rei uxoriæ  
actione. Item pignus aliud est voluntarium, quod  
voluntate partium, aliud necessarium, quod autho-  
ritate Judicis constituitur: ut pignus prætorium.

DICO 2. *Aliquis eredit rem suam, ut recupe-  
randam non ratione usus, sed... ratione obligationis,*  
*sicut cum quis rem suam pignori obligat.* S. Th. hic  
Q. 61. A. 3. O.

Conclusio patet ex dictis in notabili pro cuius  
majori elucidatione.

Q. 1. Cujus expensis servanda est res oppigno-  
rata?

¶. Quia debitor manet rei oppignorata (idem est

Q. 3

de

de hypotheca) dominus, & ad eum spectant emolumenta ex te oppignorata provenientia, hinc etiam ejus impensis debet servi i cōlūnis: cum æquum sit eum, qui sentit commodum, etiam sentire onus.

**Q. 2.** Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in pignore?

**R.** Ex culpa lata & levi: probatur ex §. 4. instit. quibus modis re contrahi, obligat. ubi dicitur: sed quia pignus utriusque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum, placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat, quam si prestiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit secundum esse nec impediti creditum petere; ex quo à contrario sequitur: quod non exhibita exacta diligentia restituere obligetur.

**Q. 3.** Quænam in pignus dari possint?

**R.** Quæ vendi non possunt, nequeunt oppignorari: cum oppignoratio sit via ad alienationem, hinc oppignorari nequeunt vasa sacra, supplex Ecclesiæ, nisi in gravi necessitate. cap. nullus 1. de pigno, homo liber oppignorari nequit Cap. la tor 2. cod. tit. lib. 3. tit. 2 1. nec res plane alienal. 2. Cod. si aliena res pignori sit data, quamvis enim aliena res vendi possit, cum in venditione rei alienæ obligetur persona venditoris ad præstandam evictiōnem, pignori tamen dati non potest: quia per pignus constituitur jus in te, quo res in pignus data obligetur.

**Q. 4.** An Prælatus bona Ecclesiæ oppignorare possit?

**R.** Oppignorare non potest res Ecclesiæ alienari prohibitas per hypothecam specialem, bene tamen per generalem, nec potest pro necessitate propria res Ecclesiæ oppignorare cap. ex præsentium 3. de pignor.

pignor. estque in optione Ecclesiæ vel directè age-  
re contrà creditorem aliumve pignus detinente,   
aut rem male à rectore distractam ab ejusdem hæ-  
redibus repetere Gloss. in cit. cap. ex præsentium  
V. necessitate.

**Q. 5.** An & quomodo creditor possit fructus  
pignoris percipere?

**R.** Fructus ex re oppignorata perceptos debet  
creditor in sortem computare, ita, ut si sint suffi-  
cientes ad extinguendum totum debitum, solvatur  
actio, & pignus reddendum sit, si vero excedant  
debitum, excessus cum pignore est reddendus cap.  
1. & 2. de usur. lib. 5. tit. 19. cap. cum contrà 6.  
de pignor. l. 1. Cod. de pignorat. act. lib. 4. tit. 24.  
unde etiam illicitum est pactum legis commissoria:  
ut si debitum v. g. ex mutuo intrà certum tempus  
solutum non fuerit, pignus pro eo datum commit-  
tatur, id est: creditori cedat, prohibetur enim  
utroque jure: canonico cap. significante 7. de  
pign. civili l. 3. C. de pactis pignor. & de leg com-  
miss. &c. lib. 8. tit. 35. *Ratio est:* quia res pignori  
data communiter majoris est pretii, quam quanti-  
tas debiti, & ita si pactum illud valeret, cogeretur  
debitor plus solvere quam deberet, ideoque si con-  
ventio fieret, ut in casum non solutionis securæ in-  
trà certum tempus, pignus sit emptum aut in solu-  
tum datum creditori pro justo pretio, pactum  
æquum esset & justum; in his casibus fructus pigno-  
ris non computantur in sortem. 1. Si Vasallus do-  
mino directo fundum feudalem in pignus dedit.  
cap. 1. de feudis lib. 3. tit. 20. ratio optima videtur  
esse, quia cum interea Vasallus sit liber à servitiis,  
etiam æquum est, ut dominus loco servitorum per-  
cipiat fructus. 2. Si maritus pro dote fundum in  
pignus habeat cap. salubriter 16. de usur. 3. Si cle-

Q.

ricus

ricus redditus beneficii à laico injustè possessos sibi op-  
pignoratos habeat, cap. 1. de usur. lib. 5. tit. 19.

**Q. 6.** An creditor rem sibi oppignoratam alteri  
oppignorare possit?

**R.** Affirmative: juxta Glossam in cap. cum con-  
tra 6. de pign. V. extenuasset: ita tamen ut pri-  
mus creditor non possit in plus sive in majorem  
quantitatem debiti pignus obligare 2do creditori,  
quam ei fuerit obligatum à domino seu primo debi-  
tore l. 2. C. si pignus pignori datum lib. 8. tit. 20. dis-  
solute, ure pignoris, quod prius creditor in illud  
habebat, per integrum debiti solutionem à primo  
debitore factam, extinguitur etiam jus pignoris in  
secundo debitore, nec potest pignus ultrà tres vices  
dati, ita ut primus creditor possit rem oppignora-  
tam dare secundo, hic tertio & non ultrà, ut vite-  
tur processus in infinitum.

**DICO.** 3. Potuit emphyteuta (Ecclesia primitus re-  
quisita...) meliorationes & jus sibi competens alius ven-  
dere, qui ab emptione hujusmodi minimè prohibentur.  
*Emphyteuta quoque secus presumendo vel cessando in so-*  
*lutione canonis per biennium (nisi celeri satisfactione*  
*postmodum sibi consulere studuisse) justè potuisset expelli*  
cap. 4. de locat. & conduct. lib. 3. tit. 18. quod exprimit  
jus & obligationem ex contractu emphyteuseos ortā.

Est autem emphyteusis contractus consen-  
sualis bonæ fidei, quo predium alterius uten-  
dum conceditur pro certo canone in recog-  
nitione directi dominii annuatim solvendo 3  
dicuntur: consensualis: quia licet multi probabilitas  
velint ad substantiam contractus emphyteutici re-  
quiri scripturam, attamen probabilius videtur,  
scripturam solius probationis causa adhiberi, ut  
sciantur pacta & conditiones apposita. Differt à lo-  
catione, 1. Quia in emphyteusi datur sola res im-  
mobilia

De PERM  
mobilis ad  
nii vel sex  
perpetuum  
reale & do  
sio, non i  
rem domi  
clesse cur  
Ecclesie i  
perpetua  
leminitati  
si fundi  
mortem  
propter d  
nium aule  
modo, at  
jam ab ali  
ad utile &  
inentium  
minio dire  
tibus cui  
ex cap. 2. c  
bus Ecclesi  
atio, sed  
Ex con  
teuta præ  
te emphy  
conventoru  
phyteulin  
phyteusi e  
ion possit  
facere deb  
4. ut. 66.  
re, qui re  
foliat fruc  
colonus &

mobilis ad usum. 2. Non ad modicum tempus triennii vel sexennii, sed saltem ad decennium vel in perpetuum aut ad tempus vitæ. 3. Transfertur jus reale & dominium utile. 4. Datur annuatim pensio, non velut merces pro usu sed in recognitionem dominii directi. Hunc contractum Prælati Ecclesiæ cum limitatione inire possunt, ita ut bona Ecclesiæ non possint primo dare in Emphyteusin perpetuam aut in alias generationes sine juris solemnitatibus ad alienationem requisitis; attamen si fundi vel prædia in emphyteusin dari solita per mortem emphyteutæ sine heredibus decedentis vel propter delictum ipius vel alio modo quoad dominium utile ad Ecclesiam revertantur, possunt simili modo, antequam Ecclesiæ sint incorporata (id est jam ab aliquo tempore in registrum bonorum quo ad utile & directum dominium ad Ecclesiam pertinentium relata) aut dominium utile sit cum dominio directo consolidatum, absque juris solemnitatibus cum Ecclesiæ utilitate in emphyteusin dari ex cap. 2. de feudis & extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alien. hæc enim non est nova alienatio, sed potius ordinationis antiquæ executio.

Ex contractu emphyteutico obligatur emphyteuta præter observationem pactorum in concessione emphyteusis, quæ communiter fit in scriptis, conventorum 1. colere & conservare rem in emphyteusin datam propriis expensis, ita ut finita emphyteusi expensas causa meliorandi factas repetere non possit, eo quod ex natura hujus contractus eas facere debuerat l. 2. Cod. de jure Emphyteutico lib. 4. tit. 66. in quo differt emphyteuta à conductore, qui repetit si quid in meliorationem rei & non solum fructuum recipiendorum causa impedit, l. coloraus 61. fl. lib. 19. tit. 2. loc. cond. 2. dare

Q s

singulis

singulis annis canonem l. 2. Cod. de jure emphyteutico §. 3. instit. de loc. & cond. lib. 3. tit. 25. quod si in emphyteusi Ecclesiastica per duos & in emphyteusi laica per tres annos continuos canonem solvere neglexerit, amittit emphyteusin & dominium utile domino voluntatem suam declarante, antequam moram purget in emphyteusi Ecclesiastica, cum dominio directo consolidatur 3. sicut ab initio emphyteusis erga premium conventum datur, ita quotiescumque contingit aliqua mutatio ex parte emphyteutæ, ita ut emphyteusis ab uno in alterum per venditionem &c. transferatur, teneatur novus emphyteuta domino directo præstare laudem pro investitura, quam dominus directus novo colono impertitur, laudem de jure communi est quinquagesima pars pretii, quo bonum emphyteuticum estimatur. Secundum statuta particularia & consuetudinem varium est.

Si res emphyteutica totaliter sit destructa absque ulla spe reparationis, non tenetur emphyteuta solvere canonem: quia re peremptâ perit jus super ea re constitutum, si vero res emphyteutica ex parte pereat, aut propter superveniens infortunium sterilitatis uno vel altero anno modicos aut nullos fructus proferat, tenetur nihilominus emphyteuta integrum canonem solvere, si is respectivè ad fructus annuos sit modicus: quia tunc non pro utilitate fructuum, sed solum in recognitionem dominii directi canon solvitur Gl. in capitulum fin. de locato & conducto v. expelli, secus est si sit canon magnus & proportionatus ad fructus.

Si emphyteusis sit concessa simpliciter nullâ factâ mentione temporis vel personarum, ceusetur esse perpetua & transit ad omnes hæredes sive ex testamento sive ab intestato succedentes sive conjunctos sive

De PERM  
sive extran  
personas,  
sulos, qui  
cessa: qu  
piunt R. J.  
familia cef  
phyteusi C  
sterium bo  
präsentat  
vita illiu  
phyteusis  
potest,  
men vend  
servatis:  
ri, an ille  
nium utile  
spectari p  
deliberan  
vendi tali  
hem, privil  
His condit  
radens em  
emphyteus  
itoraverit v  
us perden  
Emphy  
et contradic  
lens quoad  
tuo conced  
sonalis, q  
ib emphy  
Q. I.  
R. Feu  
sellor ille  
ab alio acc

**DE PERMUTATIO. COMMODATO, CENSIBUS &c. 251**  
sive extraneos ; si emphyteusis sit concessa ad certas  
personas , generationes vel familias transit ad illos  
solos , quibus vi contractus emphyteutici est con-  
cessa : quia contractus ex conventione lege in acci-  
piunt R. J. 85. in 6. & extincta hac generatione vel  
familia cessat emphyteusis ; si ex illis , qui in em-  
phyteusi succedunt , aliquis sit religiosus , mona-  
sterium bonorum in communi capax , quamdiu re-  
presentat personam istius religiosi : hoc est : ad dies  
vitæ illius utilitatem emphyteusis recipit. Alias em-  
phyteusis aliis quidem modis in alium transferri  
potest , licet illud ab aliquibus negetur , atta-  
men vendi non potest nisi duabus his conditionibus  
servatis : imprimis debet dominus directus requi-  
ri , an ille pro eodem pretio , quo alter , velit domi-  
nium utile emere , quâ requisitione factâ debet ex-  
spectari per duos menses , qui domino directo ad  
deliberandum conceduntur. Deinde non debet  
vendi tali personæ , per cuius potentiam , exemptionem ,  
privilegia conditio domini directi fiat deterior.  
His conditionibus non servatis vendens validè &  
tradens emphyteusin amittit , sicut etiam privabitur  
emphyteusi si rem emphytenticam notabiliter dete-  
rioraverit v. g. arbores frugiferas succidendo , syl-  
vas perdendo , reparations debitas negligendo.

Emphyteusi vicinus est contractus feudalis , qui  
est contractus , quo res aliqua immobilis vel æquiva-  
lens quoad dominium utile liberaliter , & perpe-  
tuo conceditur sub onere fidelitatis & obsequii per-  
sonalis , quæ definitio sufficienter distinguit feudum  
ab emphyteusi.

**Q. I. Quotuplex sit feudum ?**

**R. Feudum dividitur in novum , quod pos-  
sessor ille primitus acquisivit , & antiquum , quod  
ab alio acquisitum per successionem ad eum perve-  
nit. ad.**

## 252 DISPUTATIO XXXII.

nit. 2do. in Ecclesiasticum, quod à Prælatis in bonis ad Ecclesiam spectantibus constituitur, sive accipientes sint clerici sive sacerdotes, & sacerdotale quod princeps vel dominus sacerdotalis in suis bonis constituit, sive detur sacerdotali sive clericu arg. cap. ex transmissa de fato competenti lib. 62. tit. 2. 3rto. in feudum proprium, quod omnes feudi notiones habet, & improprium quod aliqua sui parte à communione feudorum ratione deficit, cujus species sunt: feudum sacerdotiale aut promiscuum, in quo & filii succedunt, feudum liberum seu francum, quod nulla servitia personalia exigit; feudum emptitium, quod pretio emitur &c.

*Q. 2. Quis efficit feudum?*

R. Causa efficiens feudi est dans feudum, qui dominus, & accipiens qui Vasallus dicitur, clerici & religiosi sunt capaces feudi, si non exigat obsequium personale, sed tale, quod per substitutum exhiberi potest, monasterium loco religiosi in feudum succedens illo solo ad vitam illius religiosi fruatur, quo mortuo feudum ad agnatos vel dominum directum revertitur.

*Q. 3. Quænam & qualiter concedantur in feudum?*

R. In feudum conceduntur res immobiles, ex quibus perpetuò fructus colligi possunt absque substantiæ consumptione, ita ut ea salva domino directo remaneat, quo nomine non tantum veniunt res corporales soli sive terræ cohærentes, sed etiam incorporales videlicet jura venandi, decimandi, imperii meri & mixti, census &c. In quorum in feudatione hæc servatur solemnitas, ut vasallus juramentum fidelitatis ac homagium præstet, quo se obligat ad tuendum dominum in vita, honore, fama & bonis, quod juramentum præstanti dominus directus

De PERM  
itus conce  
quities ve  
Q. 4.  
q. Feu  
hæredibus  
dum conc  
ritur, qu  
clesiam,  
Prælatus  
corpora  
nitatibu  
in simili  
feudum  
pro libitu  
quod de j  
irrequisit  
quocunq  
fetur v. g  
iat, quo  
ferat, sci  
iat, intr  
obsequia c  
num felon  
at admit  
Huc pe  
conductio  
nis, pro  
Q. 1.  
materia,  
R. 1.  
altericor  
certo pre  
catio, &  
res: que  
AUGUST 2.  
Eus

DE PERMUTATIO. COMMODOATO, CENSIBUS &c. 253  
Etus concedit investituram, quæ toties renovanda est,  
quoties vel dñi directi vel Vasalli persona mutatur.

Q. 4. Qualiter cesset Feudum?

R. Feudum cessat 1. si Vasallus moriatur absque  
heredibus feudalibus hoc est talibus pro quibus feu-  
dum concessum est, quo casu feudum domino ape-  
ritur, quod si dominium directum pertineat ad Ec-  
clesiam, potest subsistente eadem utilitatis causa  
Prælatus, antequam bonum feudale sit Ecclesiæ in-  
corporatum, illud denuo in feudum sine solem-  
nitatibus ad alienationem requisitis concedere, sicut  
in simili dictum est de emphyteusi. 2. Si vasallus  
feudum refutet id est: juri feudi renuntiet: cum  
pro libitu quis suo juri cedere possit 3. Si faciat,  
quod de jure faciendum non est feudum alienando  
irrequisito & invito domino, sive venditione sive  
quocunque actu, quo dominium aut jus reale trans-  
fertur v. g. donando, legando 4. Si Vasallus omittat,  
quod faciendum est v. g. dominum in acie de-  
serat, sciens domino imminere jacturam non aver-  
tat, intrâ annum & diem non petat investituram,  
obsequia debita non præstet. 5. Si delinquat in domi-  
num feloniam seu ingratitudinem indirecte vel direc-  
tè admittendo;

Huc pertinent quoque contractus locationis &  
conductionis; societatis, assecurationis, transactio-  
nis, pro quorum notitia

Q. 1. Quid sit locatio, & conductio, quæ ejus  
materia, & quæ obligatio?

R. 1. Locatio & conductio est contractus, quo  
alteri conceditur res utenda vel fruenda constituto  
certo pretio; vocaturque ex parte concedentis loca-  
tio, & ex parte accipientis conductio, dicitur 1.  
res: quo intelligitur res sive mobilis sive immobilis  
dicitur 2. utenda vel fruenda: quia aliquando rei  
conductio

conductæ usus solum conceditur v. g. in equo ad iter  
conducto, aliquando etiam fructus v.g. in elocatis  
agris, quæ elocatio tamē extendi non debet ultra de-  
cennium alias fiet contractus Emphyteuticus; *Dicitur 3.*  
*Constituto certo pretio & quidem in numeratâ pecu-*  
*nâ: si enim solveretur alia res loco pretii locationis,*  
*non esset locatio sed contractus innominatus: do ut*  
*des, unde nec conductor cogi potest, ut solvat in aliis*  
*rebus quam in pecunia, excepta causa necessitatis.*

2. *Omnis res, quæ vendi possunt, possunt etiam*  
*elocari præter servitudes Rusticas L. locare ff. locati*  
*J. G.*

3. *Expensas solvere pro re locata conservanda vel*  
*reparanda spectat ad locatorum, nisi obstat specialis*  
*conventio aut consuetudo loci ut patet ex L. Colonus 61.*  
*lib. 19. tit. 20. ff. locati, per hoc tamen intelligendæ*  
*non sunt expensæ factæ in arando seminando &c.*

4. *Cessat locatio finito tempore præfixo, undè*  
*nec locator nec ejus hæres universalis possunt pro libitu*  
*expellere conductorem, sed exspectare debent, donec*  
*tempus in contractu expressum effluxerit, quod etiā ve-*  
*rum est in locatione rei Ecclesiasticæ à prälato vel capi-*  
*tulo facta. Aliud de rigore Juris est in simplici benefi-*  
*ciano; ratio prioris est: quia prälatus est legitimus*  
*administrator rerum Ecclesiasticarum, undè si has*  
*modo à jure permisso elocarit, locatio tenebit, nec*  
*eam successor infringere, nec novum laudemium (quod*  
*solum ad Emphyteuses pertinet) exigere potest, ratio*  
*posterioris, quod locatio à simplici Canonicō vel alio be-*  
*neficiato facta non transeat ad successorem in beneficio*  
*sed cum ejusdem morte expiret, et si nondum tempus*  
*effluxerit, est: quia talis Canonicus comparatur usu-*  
*fructuario vel usuario cap. fin. de peculio Clericorum*  
*lib. 3. tit. 25. etiam cessat elocatio licet tempus non-*  
*dum sit finitum his quatuor Casibus: 1mo Si condu-*

ctor

**DE PERMUTATIO. COMMODOATO, CENSIBUS &c. 255**  
ad hoc  
elocati  
ultra de  
dicatio  
itâ pecu  
cationis  
: do  
rat in al  
atis.  
ant etia  
ff. loc  
vanda v  
et speci  
colonus  
telligend  
&c.  
o, ut  
pro libri  
rit, don  
od etiâ  
o vel cap  
ci benef  
legittima  
è si ha  
bit, ne  
am (qui  
est, nunc  
el alio be  
benefici  
a tempa  
atur olo  
ericorum  
us non  
i condu  
**ctor per biennium non solvit Canonem 2do Si elocato-  
tor res elocata sit necessaria ex necessitate superveniente,  
cui aliter provideri difficulter potest v. g. domus pro ha-  
bitatio e L. æde quam 3. Cod. de locato lib. 4. tit. 65.  
3to Si res elocata egeat refectione: ut domus ruina-  
sa, in quo tamen & secundo casu cessat currere pre-  
mium locationis L. æde, cit. cap. propter sterilitatem 3.  
v. verum de locato & conducto lib. 3. tit. 18. 4to Si  
conductor abutatur domo v. g. conducta in damnum  
locatoris vel communis v. g. aleando porcos domum  
suffidentes, recipiendo scorta, aleatores.**

**5. Deobligatur conductor solvere premium conven-  
tum ex temporum injuriâ, grandine, militum depopu-  
latione superveniente, & quidem in toto vel in parte,  
prout prudens hominum istius regionis opinio judica-  
verit, nisi anni præcedentis vel subsequentis fertilitas  
sterilitatis damnum compenset, si tamen ex culpâ con-  
ductoris obtingat agrorum sterilitas, solvere cogitur.  
Excipitur colonus partarius, cui non fit remissio: quia  
ille quasi ex contractu societatis fruitur emolumentis  
& simul damnum patitur; in dubio an res perierit casu  
aut sine culpâ, an cum culpâ conductoris, tenetur  
hic probare suam innocentiam.**

**Q. 2. Quid sit & qualem obligationem inducat  
contractus societatis?**

**R. 1. Contractus societatis est conventio duorum  
vel plurium conferentium pecuniam vel aliud pretio  
æstimabile in ordine ad commune lucrum & damnum  
pro rata. Dicitur 1. Conventio duorum &c. quia  
nequit esse nisi saltem inter duos & solo consensu exte-  
tius manifestato absque scripturâ perficitur. Dicitur 2.  
Conferentium: quia per hunc contractum intenditur  
lucrum ex aliquo. Dicitur 3. Pretio æstimabile,  
sive sit pecunia sive opera & industria, sive navis ad  
negotiandum necessaria, sive animalia sive quodlibet  
aliud**

aliud lucris feras. *Dicitur 4.* Et damnum: æquum enim est, ut quando lucrum est commune, & damnum sit commune ex R. J. 55. in 6. dicitur denique: pro ratâ: id est: cum proportione ad id, quod contulerunt in commune.

**2.** Tribus modis hæc societas initur. 1mo Ut omnes æqualiter conferant pecuniam industriam & laborem. 2do Ut unus solus pecuniam, alter industriam, tertius laborem conferat. 3rdio Ut unus solus pecuniam & alter solus industriam conferat & laborem & quolibet ex his modis initus hic contractus est licitus; quia tribuitur in hoc contractu cuique suum salvâ charitate fraternâ; ergo nihil illicitum & injustum continet, modo hæc præter alias adsit conditio: nempe ut servetur æqualitas videlicet si talis ineatur societas; ut ex capitali pecuniæ & opera fiat unum capitale utrique commune, quod postea simul illud cum lucro sit inter socios dividendum, vel per partes æquales, dum habita æstimationis operarum cum pecuniis collatione judicantur æqualiter contribuisse, vel per partes proportionales, dum inæqualiter contulerunt; si vero unus sociorum pecuniam conferens sibi reservasset capitale integrum, nolens id esse commune cum eo, qui præstat operam, tunc ut servetur justitia in divisione lucri multo major pars est assignanda illi, qui operam contribuit, factâ tamen etiam computatione periculi, quod subire debuit circa capitale is, qui pecuniam contulit, & tunc si nihil sit alteri in divisione capitalis sperandum, etiam ad eum periculum fortis non spectat, qui solum operam contulit.

*Q. 3.* An sit licitus contractus assecurationis?

*R. 1.* Contractus assecurationis est, quo quis pro certo pretio suscipit in se rei alienæ periculum vel verum vel ab utrâque parte prudenter existimatum, ex quo assecurans obligatur assecurato rem, etiamsi sine ullius culpa

De PER  
culpa peri  
pensiare,  
2. Hic

pere in le  
susceptione

bile, acci  
de nautico

uterque ex  
sed in con

titur peri  
in hoc co  
sit mutui

Dices  
dicitur: /  
transpecun  
lum, recep  
infendus.

R. Neg  
citur de i  
sequente.

Dices 2.  
pretium.

bulgo jactat  
utrisque ulli

R. Nega  
tivendi om  
nium subfi  
diat tale pe  
riuationis s

stanti peric  
periculum, f

Dixi:  
ut: quia s  
taribus esse  
temporibus contra

2. The

De PERMUTATIO. COMMODATO. CENSIBUS &c. 257  
culpâ perierit , secundum modum conventum com-  
pensare.

2. Hic contractus est licitus : quia licitum est susci-  
pere in se periculum rei alienæ ; licet quoque pro  
susceptione hujus periculi , cum hoc sit pretio æstima-  
bile , accipere pretium L. periculi ff lib. 22. tit. 2.  
de nautico fœnore. Deinde licitus est contractus; in quo  
uterque exponitur æqualiter periculo lucri & damni ;  
sed in contractu assecurationis æqualiter uterque expo-  
nitur periculo lucri & damni & si quid iniquitatis esset  
in hoc contractu, esset usura, sed hoc non, cum nullum  
sit mutuum.

Dices 1. Cap. naviganti 19. de usu. lib. 5. tit. 19.  
dicitur : *Naviganti vel eunti ad nudinas certam mu-  
tuans pecunia quantitatem eo quod suscipit in se pericu-  
lum, recepturus aliquid ultra sortem, insurarius est  
censendus ; Ergo.*

R. Negando consequentiam : quia illud cap. lo-  
quitur de mutuante , circa quem expendetur disput.  
sequente.

Dices 2. Assecurans nihil dat , & tamen suscipit  
pretium. Deinde sèpè non subest periculum , quod  
vulgo jactatur , unde tali casu assecurans habet spem  
lucti sine ullo periculo damni , quod est iniquum.

R. Negando ass. Suscipit enim in se obligationem  
solvendi omnes merces , si pereant ; & licet aliquando  
nullum subsit periculum, tamen ab utroque apprehen-  
ditur tale periculum ; quod si assecurans sit locius ne-  
gotiationis spes lucri moraliter non æstimatur tanti,  
quanti periculum , quamvis si exiguum vel nullum sit  
periculum, fatendum sit, illud compensati posse spe lu-  
cri. Dixi : quod periculum ab utroque apprehenda-  
tur : quia si alterutem sit certus de eventu , aut nullum  
sciat subesse periculum, cessat fundamentum & materia  
hujus contractus , adeoque est nullus, sicut econtra

2.2. Theol. Schol. Pars poster.

R

est

est validus, si neuter sciat eventum, tametsi merces re ipsâ sint salvæ aut jam perierint: quia contrahunt de eventu, quem bonâ fide credunt incertum, quod si alterutere apprehendat justo majus vel minus periculum, augendum aut minuendum est premium assecurationis juxta arbitrium prudentium & expertorum.

3. Si assecurans in se receperit, merces fore salvas, tunc si conditiones reliquæ in contractu assecurationis additæ sint servatæ: ut quod navis & currus tenuerit viam &c. uti conventum est, tenetur assecurans impensas pro recuperandis mercibus facere, aut eas in totum solvere; prorsus injusta est illa Mercatorum praxis, quâ in naufragio vel alio periculo pereuntibus mercibus studiosè subterfugiunt laborem ulla merces salvandi, licet facere possint, ut aliquas salvas habeant, idque ideo; quia si aliquas salvant, tenebuntur in foro exteriori probare, quænam perierint, easque solas assecratores solvent, à quo onere vel lite ut liberentur, sinnunt omnes merces perire, ut omnes solvi debeant: ex proposito enim hoc damnum causatur assecuratori, nec lites fori declinare licet cum damno & præjudicio tertii.

Dubium hic moveri solet, an cum eodem simul initî possit contractus societatis & assecurationis hoc modo: Titius Cajo Mercatori summam pecuniam dat, ut cum ea communi nomine negotietur, nullam verò partem capitalis ad negotiationem dati habeat, nihilominus illius integrè restituendi periculum in se suscipiat, deinde etiam aliquod lucrum certò Titio solvat, sive multum sive parum sive omnino nihil lucretur, in utriusque periculi compensationem habeat Cagus totum lucrum, quod ex capitali & industriâ ac labore secuturum speratur. Societas hæc à quibusdam vocatur Leonina, quod partem lucri certam habeat is, qui nullum subit damni periculum. Et fatendum

DE PERMUTATIO. COMMODO, CENSIBUS &c. 25,

dum est, quod talis societatis contractus in praxi sit periculosis ac vix injustitiā careat, quam alter suscipiens capitale spe alicujus lucri inescatus sēpē patitur; nihil minus si omnibus attentis mortali prudentum iudicio sit æqualitas inter spem lucri & periculum damni, ut periculum illud per spem lucri compensetur, illi contractus simul cum uno initi sunt liciti. *Ratio est*: quia contractus illi seorsim celebrati sunt liciti: maximè quando fiunt cum diversis personis: dum nempe cum Mercatore negotiaruto, cui concreditur pecunia initur contractus societatis, alteri verò pro assecuratione capitalis datur pars lucri: tria v.g. pro centum, si lucrum fuerit octo aureorum ex centum. Tertio autem pro uno aureo ex illis quatuor, qui sibi pro centum obvenirent, assecurando, relinquuntur omnia alia, quæ sperantur hujusmodi lucrum excessura, ita ut spes hujus excessus eidem detur pro certitudine uerius aurei; ergo etiam sunt liciti, si simul cum uno ineantur. Deinde tota justitia & æqualitas contractus consistit in eo, quod commoda & incommoda, quæ contrahenti imponuntur, æqualia sint, hoc autem fieri potest, quod spes majoris lucri æstimetur tanti, ut æquiveleat toti oneri assecurandi capitale, & simul aliquod certum lucrum, tunc igitur quando onera & commoda justè ac prudentum iudicio æqualiter compensantur, contractus illi justi & æqui sunt, etiamsi simul & cum uno dunt taxat ineantur, unde conditiones hæc requiruntur ut licitus sit hic contractus.

Prima ut lucrum certum, quod ab eo qui ad negotiandum pecunias accepit, est solvendum ei, qui illas contulit, ita moderatum sit, ut attento capitali & spe lucri majoris, quam recepturus est accipiens, apparet fieri justam compensationem periculi ab eo subeundi, qui ejusdem capitalis securitatem in se recepit, deinde ut illud certum lucrum solvendum in mortali æsti-

matione æquæ spem, quâ tantum probabiliter speratur lucrum majus, ut ita utrumque sit moralis æqualitas.

Secunda Conditio est : ut evitetur usura palliata, qualis esset, quando sub dictis pactionibus concedetur pecunia illi, qui sciretur cum illâ non esse negotiatorus : tunc enim titulus ille, quod daretur spe majoris lucri, subsistere non posset.

Tertia : ut alter, cui concreditur pecunia, non suoduntaxat, sed etiam illius nomine, qui contulit capitale, negotietur : cum cæteroquin non esset contractus societatis.

Sunt etiam quædam societatis & assecurationis pacta, quæ vel contrâ justitiam vel saltem contrâ charitatem pugnant, tale est hoc pactum, quo grex pecorum distribuitur Rusticis, ut salva sint in omni casu fortuito pecora tradenti & emolumenta sint communia: quia non liberè sed egestate pressi tales contractum inirent Rustici: si enim sibi esset facultas, potius rejecto hoc onere sibi coemerent pecora propria, turpe est autem ex alterius egestate sibi venari commodum. Deinde non est paritas de Rustico & Mercatore, qui res suas solet exponere casibus fortunæ, quod non facit Agricola, & insuper Mercator potest assecurare sorteim: quia facta operarum suarum jactura adhuc retinet jus & facultatem ad easdem similes operas, sed Agricola præter laborem suum debet expendere pabulum alendis pecoribus, quo semel amissio non retinet jus & facultatem in id, quod perdidit; ergo; denique Mercator de assecurato capitali non potest accipere nisi lucrum modicum censuale, sed in casu posito certo accipitur medietas lucri ex pecoribus. Licet tamen animalium traditio in societatem 1. Ut capita stent periculo dannis seclusâ culpâ & dolo recipientis & emolumenta sint communia. 2. Licet animalia tradere pascenda, ut damnum & lucrum totum cedat Rustico, & hic refundere

De PERI  
dere preti  
pactum,  
is primò  
lium, &  
munia.  
rà condit  
quædam f  
oves èa le  
duos soli  
idque ad  
recipient

Q. 4.  
tionem?

R. I.  
mo à non  
anim scit re  
te, pecca  
tilite nega  
dubia, ni  
gauita: c  
in hoc diffe  
debiti vel ad  
liter exting

2. Tran  
sintate tra  
pure accipia  
to vel Cod  
im Judicio  
sutura per  
nibus no  
intestatior  
erant, L  
emolumen

3. Tran  
suntur pro  
dere

dere premium obligetur : quia est venditio. 3. Licet pactum , ut periculum sit commune & ex emolumen-  
tis primò obuenturis tradens accipiat premium anima-  
lium , & hæc deinde cum suis emolumentis sint com-  
munia. 4. Licet Rustico locare boves ad arandum  
eà conditione , ut tempore Messis solvat mensuras  
quasdam frumenti. 5. Licet v.g. alicui dare centum  
oves eà lege , ut pro quâlibet ove solvat annuatim  
duos solidos , cum fructus valet quatuor aut quinque,  
idque ad vitam dantis , posteà verò oves omnes sint  
recipientis.

*Q. 4. Quid sit transactio & qualem inducat obliga-  
tionem?*

*R. 1. Transactio est de re dubiâ aut litigiosâ lite jam  
mo à non gratuita pactio : Dicitur 1. Dubiâ, qui  
enim scit rei esse alterius, nec ullum sibi jus compete-  
re, peccat transigendo 2. Lite jam motâ: unde fini-  
tâ lite negatur transactio tanquam de re non amplius  
dubiâ, nisi à sententia appellatum esset. 3. Non  
gratuita: quia si aliquo retento & aliquo remisso , &  
qui res facit Agi forte in hoc differt ab amicabili compositione, in quâ pars  
debiti vel actionis gratis remittitur , & sic lis amicabi-  
liter extinguitur.*

*2. Transigi potest super omnibus, quæ à liberâ vo-  
luntate transigentium dependent , nisi specialiter de-  
jure accipientur : sicut excipiuntur relicta in Testamen-  
to vel Codicillo , de quibus transigi non potest nisi co-  
ram Judice inspectis verbis Testamenti. Et alimenta  
futura per quamvis ultimam voluntatem relicta , de  
quibus non valet transactio, ne illi, quibus provisum vo-  
luit testator , modico præsentî contenti in futurum  
egeant. L. cum hi g. ff. de transact. lib. 2. tit. 1 § & L.  
de alimentis g. C. eod. lib. 2. tit. 4.*

*3. Transactio servanda est licet novæ posteà inve-  
niantur probationes aut error juris vel facti intervenie-*

rit, salvo tamen errore calculi, nisi etiam super hoc esset transactum L. uñ. C. de error. Calcul. lib. 2. tit. 5. Excipitur transactio metu gravi injusto extorta L. interpositas 13. C. de transact. vel dolo extorta, quæ per actionem de dolo rescindi potest L. penult. C. de transact. vel In qua contigit error substantialis.

## QUÆSTIO IV.

*De fidejussione, negotiatione, sponsionibus &c.*

**D**ICO I. *Eum, pro quo te fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit, seu super hoc condemnatus fuerit, jure poteris convenire, ut te à fidejussione debeat liberare, Cap. fin. de fidejusso. lib. 3. tit. 22.*

Conclusio hæc complectitut casus, in quibus fidejussor possit agere contrà debitorem, pro quo fidejussit; licet ordinariè contrà eum agere non possit, priusquam aliquid pro eo solvat, sicut ex contractu fidejussionis in defectum principalis se ad solutionem obligavit, est enim fidejussio alienæ obligationis in se suscepit, quâ se quis obligat ad illam implendam, si debitor principalis non solverit, unde est contractus subhidiarius in subhedium simul & securitatem contrahens alterius initus, ad quem proindè requiruntur sequentes conditiones 1. Ut supponat alium debitorem, nec fidejussor teneatur ad plus quam ille. 2. Ut si inveniatur debitoris obligatio invalida, etiam fidejussor non teneatur. 3. Ut non cogatur solvere nisi factâ prius excusione principalis debitoris bonorum & hæc inveniantur non sufficere Novella 4. cap. 1. auth. præsente Cod. de fidejussor. lib. 8. tit. 41. Modo principalis sit convenientibilis;

Possunt fidejubere omnes, quicunque possunt obligari nisi jure prohibeantur: ut servi, milites, Religiosi non impetrato sui superioris consensu, fœmina per Senatus Consultum Vellejanum, nisi in sex casibus

DE PE  
bus in l.  
janum li  
numissio  
si renunt  
co 4. si  
fidejussi  
jet. 6. si  
dicta c  
sunt qua  
fidejuss  
tur. Et  
enim ta  
ta sunt a  
testinter  
pœnam  
Etiam  
l. græcè  
debitor  
alium fi  
demnem  
deficiat i  
Deniq  
dinis sive  
veniatur  
ceptione  
so debit  
bili, u  
te non  
plures  
guli in  
diu om  
obligat  
dam le  
fiat noi  
qui sib

DE PERMUTATIO. COMMODATO, CENSIBUS &c. 253  
bus in l. quamvis 8. ff ad senatusconsultum Velle-  
janum lib. 16. tit. 1. expressis 1. pro pretio in ma-  
nummissione servi 2. pro dote alicujus mulieris 3.  
si renuntiarit beneficio SCTi. Vellejan. certiorata de  
eo 4. si accepit pretium vel aliquid loco pretii pro  
fidejussione 5. si in fraudem fidejussit, ut decipe-  
ret. 6. si pignore vel fidejussore dato post biennium  
ad dicta cautione ad idem se obligavit; clerici pos-  
sunt quandoque pro laicis fidejubere; in cap. 1. de  
fidejussoribus, solum frequentia iisdem interdici-  
tur. Et obligatio fidejussoris transit ad haeredes: non  
enim tam persona quam bona in securitatem obliga-  
ta sunt. ad quamcunque obligationem & causam po-  
test interponi fidejussor, dummodo non agatur ad  
paenam corporalem.

Etiam pro fidejussore potest accipi fidejussor juxta  
l. græcè 8 §. 12. ff. de fidejussor. lib. 46. tit. 1. quia  
debitor principalis potest fidejussori suo constituere  
alium fidejussorem, qui priorem fidejussorem in-  
demnem servet in casum, quo debitor principalis  
deficiat in indemnizando suo primo fidejussore.

Denique fidejussor duo habet beneficia: 1um or-  
dinis sive excussionis: si fidejussor à creditore con-  
veniat, ut pro debitore solvat, potest facere ex-  
ceptionem, quod non teneatur, nisi prius excus-  
so debitore principali præsente & faciliter conve-  
ibili, usque dum constet, eum vel in toto vel in par-  
te non esse solvendo 2dum beneficium divisionis, si  
plures pro eodem debito fidejusserint, quamvis sin-  
guli in solidum obligentur, possunt tamen, quam-  
diu omnes sunt solvendo, petere divisionem, ut  
obligatio debiti in portiones dividatur, si post fa-  
ctam legitimè divisionem debiti aliquis fidejussorum  
fiat non solvendo, id accidit damno creditoris,  
qui sibi imputare debet, quod deficiente tempe-

stivè non excusserit seu convenierit , dum adhuc erat solvendo , si vero hac divisione non facta alii sint impotentes & unus totum solvere compellitur , ipsius quoque hōc damno accidit , qui tempestivē petendo divisionem sibi consulere potuisset § 4. inst. lib. 3. tit. 21. de fidejussor.

DICO. 2. Nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium vel etiam honestum , & sic negotiatio licita reddetur S. Th. hic Q. 77. A. 4. O.

Explicatur & probatur conclusio : negotiatio est , qua res aliqua emitur , ut eadem immutata lucri causa carius vendatur ; licet hæc secundum se nullam honestatis rationem annexam habeat : cum lucrum sine omni damno aut incommodo querere dishonestum sit , attamen quia lucrum illud honesto fine coherestati potest , etiam negotiatio sit licita , potest enim citia læsionem justitiae ex variis titulis res comparari vilius , & vendi carius ratione nempe expensarum & laboris in servandis & advehendis rebus ; undè licitum est mercatoribus , ut ratione officii seu obligationis habendi semper paratas ad vendendum merces possint has nonnihil vendere carius ; hæc namque obligatio utpote onerosa est præatio æstimabilis ; denique potest currenti pretio res emi eo fine & animo servandi illam in tempus , quo pluris valebit ; ergo non erit injusta : quia redditur honesta , si servet ita justitiae limites , ut referatur ad finem honestum , dum v. g. negotiator lucrum moderatum ex negotiatione quæsitus ordinat ad dominū suæ sustentationem , vel intendit publicam utilitatem , ne patriæ desinet res necessarie , in quo casu negotiator non expedit lucrum tanquam finem , sed ut medium & justum laboris sui stipendum , quamvis ergo negotiatio ob inordinatam lucri cupiditatem soleat quandoque mercatores mul-

tiſ  
De Pe  
tis in just  
nacti fi  
Q.  
& Neg  
cap. fin  
I. cap.  
it, 50.  
us prohi  
gotient  
negotia  
trahit à  
plicat  
est ple  
est auten  
tione pr  
prohibi  
aliquan  
ciant ex  
indè le  
colere ,  
suis fund  
enim im  
greges ,  
vel anim  
non est  
mutata  
ci nego  
nis ind  
sunt ar  
cessat i  
undè p  
totum  
crum ,  
rum sta  
justa in  
late ,

in adiunctis in iustitiae peccatis implicare, potest tamen ex honesti finis intentione fieri virtuosa.

Q. An clericis liceat negotiatio?

R. Negativè ex can. consequens, Dist. LXXXVIII, cap. fin. de vita & honestate clericorum lib. 3. tit. I. cap. secundum 6, ne clerici vel monachi lib. 3. tit. 50. ubi pontifex sub interminatione anathematis prohibet, ne clerici vel monachi causa lucri negotientur. Ratio hujus prohibitionis est: tum quia negotiatio implicat animum curis sacerdotibus & retribuit à spiritualibus, nemo autem militans Deo implicat se negotiis sacerdotibus; tum quia negotiatio est plena periculis perjurii, fraudum & iustitiae. est autem hæc prohibitio intelligenda de negotiacione propriè dictâ suprà descriptâ, alias non est prohibitum, ut clerici & monachi emant materiam aliquam ac exemplo veterum monachorum confiant ex ea artefactum, quod postea vendant, ac inde se sustentent; possunt insuper proprios agros colere, ut fructus vendant, lapides & metalla ex suis fundis cedere, ac eruere animo vendendi illa enim immutata; sicuti possunt in suis prædiis alere greges, ut ex foetu, lacte, lana comparent pecunias, vel animalia adulta & laginata vendant; quia hoc non est negotiari, non autem emuntur res, ut immutatae carius vendantur; quod si religiosi ac clerici negotientur per alios, ita ut isti totam negotiacionis industriam præstent, juxta multos in hoc non sunt arguendi de peccato, saltem gravi; tunc etiam cessat ratio legis prohibentis clericis negotiacionem; unde possunt deponere pecunias in societate mercatorum, ut ex tali societatis contractu recipiant lucrum, atramen certum est hoc videri parum decorum statui Ecclesiastico, nec adeo faciendum esse nisi justâ interveniente causâ vel rei familiaris necessitate.

R. 5

Q.

**Q. 2.** An licitæ sint sponsiones?

**R.** Sponsiones sunt pacta quædam quibus duo vel plures, nisi res ita se habeat, quid deponunt aut promittunt eâ legè, ut victori cedat, licitæ sunt si adhuc hæ conditiones. **1ma.** Si siant super re licita; sic peccaminosa est sponsio inter duos, quis sit potentior ad potandum. **2da.** Si spondentes habeant dispositionem de re, quam sponsioni exponunt. **3ta.** Si sponsio fiat liberè sine fraude. **4ta.** Si sit æqualitas inter spem lucri & periculum damni; undè spondere quis non potest super re, de qua certus est, si tamen rei unius eventus esset verosimilior, deberet eo plus exponere in sua sponsione contrà alium spondentem pro eventu minus verosimili, ut sic inæqualitas compensaretur, in casu tamen quo adversario indico me certum esse de eventu, altero non credente sed spondere volente juxta plures acceptare possum & retinere lucrum, quod in tali casu non tam in contractum deduci, quam ab altero donari videtur.

**Q. 3.** An ludus sit licitus?

**R.** Ludus describi potest: contractus quo duo vel plures inter se paciscuntur, ut victor lucrum expositum reportet; aliis est, in quo ars vel industria, aliis in quo sola vel magis prævaleret fortuna & casus; uterque de se est licitus. Ratio est: quia sicut in potestate cuiuscunque est res suas donare, vendere &c. & in alium absolute transferre: sic etiam potest sub conditione vel industria vel fortunæ easdem in alium transferre, undè etiam præcisè propter lucrum ludere est licitum: quia per contractum ludi licite intenditur ejus finis, qui est lucrum, quod per se licitum est: cum possit ordinari ad sustentationem ludentis vel familiæ.

*Nec obstat: quod quidam dicunt: esse contrà præcep-*

præceptum non concupisces rem proximi ; non enim concupiscitur res proximi injusto & illico modo contrâ voluntatem proximi obtainenda, sed per ludum res proximi concupiscitur modo lictio scilicet eventu victoriae, non minus ac etiam licite concupiscitur res proximi mediante emptione, donatione. &c. *Dixi de se* : quia ludus potest per accidens ratione circumstantiarum esse illicitus. Ut si quis nimis sit lusui addicetus, propter eum familiam, officium &c. negligat, item ratione juris lusus quosdam prohibentis, sic enim jure civili prohibitus est lusus alearum, quo nomine Doctores passim intelligunt omnem ludum magis fortunâ quam arte directum l. alearum Cod. de religiosis & sumptibus funerum lib. 3. tit. 43. ubi insuper decernitur, quod qui in tali ludo vetito perdidit, solvere non teneatur, & si solverit, jus repetendi habeat, licet vero plures hoc tantum extendant ad obligationem civilem, & ve- lint remanere obligationem naturalem in conscientia, dant rationem : quod lex tantum pœnalis sit, siveque tantum proficit illi, qui perdidit, si exceptio nem juris adhibeat, & post sententiam Judicis, at- tamen probabilius est cessare obligationem natura- lem, & in conscientia : cum leges civiles prohibentes etiam sint irritantes.

2. Clericis lusum esse prohibitum constat ex can. Episcopus 1. Dist. XXXV. in quo dicitur : *Epis- copus aut Presbyter aut Diaconus alea atque ebrietatis deserviens aut desinat aut certè damnetur.* Et ex cap. clerici 15. de vit. & honest. cler. lib. 3. tit. 1. in quo dicitur : *ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis interfint*, qui canones renovati sunt in Triid. Sess. 22. cap. 1. de reformat. ex quibus Docto- res passim docent, clericos magnam pecuniæ quan- titatem ludo insumentes & frequenter ludentes quod colli-

colligunt in can. Episcopus ex verbo *deserviens*) reos esse peccati mortalis, secus si secluso scandalio, rariis, magis propter recreationem quam lucrum ludant, præsertim hoc tempore, quo consuetudo antiquorum canonum rigori multum derogasse videtur, hæc multo magis sunt intelligenda de religiosis, quorum statui & voto paupertatis magis adversatur ludus chartarum vel aleatum.

3. Ad hoc ut ludus sit licitus. requiruntur hæc conditiones. 1ma. ut ludens habeat liberam dispositionem de illa re, quam ludo exponit. *Ratio est:* alias enim colludens luctari non poterit expositum, cuius dominium acquirere non potest, nec consequenter exponens luctari, cum non sint pares in expositione. 2da. ut sine fraude dolo & metu &c. Quisque ad ludum accedat, fraudem faciens lucrum restituere debet: *Ratio est:* quia per fraudem & dolum passo injuriam fecit, ex qua tanquam radice damnum lecutum est. 3ta. ut non interveniat fraus contrà leges lusus: quia ea intercurrente lucrans non solum tenetur restituere lucrum, sed etiam id, quod alter fraude non factâ lucraturus fuisset; istius enim etiam acquisitio alteri debetur, & consequenter illud injustè retinetur. *Dixi:* contra leges lusus: quia fraudes quædam, seu potius simulationes sunt licitæ v. g. simulare metum vel etiam augere sponsionem, et si videat se perdidisse, quædam illicitæ v. g. notare chartas vel etiam ab alio illas sibi intimari permettere, ubi intimans etiam peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. 4ta Ut ab utrâque parte sit, non Mathematicè, sed moraliter æqualis spes lucri vel damni: ut enim ludus sit justus, debet esse æqualitas inter spem lucri & periculum damni, qualis non est, si unus ludentium alterum in arte valde antecedat, quod tamen peritior compensaret, dando adver-

adversario conditiones aliquas meliores, secus lucrans tenetur ad restitutionem, nisi manifestata prius iudi peritiâ alius ipsi colludere tamen vellet: quia scienti & volenti non sit injuria.

**Q. ultimò Quid sit sors?**

**R.** Quoad præsens sors describi potest, factum ex cuius fortuito eventu aliquid factum, futurum vel alteri tribuendum decernitur ac ita sortes sunt in triplici differentia.

1. **Consultoriæ:** quibus divina voluntas exquiritur de aliquo futuro vel agendo vel omittendo, hoc sortium genere Hebræos imo Apostolos usos fuisse patet ex scripturâ Josue 7. 1. Reg. 14. Act. 1. ut hoc genus sortium sit licitum, nec ad superstitionem pertineat, debet Deus, non Dæmon consuli, & quidem in urgente necessitate cum debito cultu & honore de rebus non vanis & futilibus, nec licet juxta has Ecclesiasticas electiones perficere; merito tamen sortes consultoriæ ab Ecclesiâ prohibitæ sunt ob periculum superstitionis ut videre est Can. 2. & sequentibus causa XXVI. q. 2.

2. **Sortes divinatoriæ,** quibus utuntur quidam ad cognoscenda secreta v. g. occulta furta per jactum alearum vel granorum & hæ semper malæ sunt & damnatae sub anathemate à jure Canonico Can. sortes 7. Causa XXVI. q. 5. Sed de his prohibitis sortibus infra plura.

3. **Sortes divisoriæ** sunt quibus utuntur homines, ut sciant, quid cuique tribuendum sit hâcque sorte uti licet in controversiis & litibus dirimendis, hæreditatibus imo officiis sæcularibus distribuendis; dummodo sortientes æquè digni sint L. sed cum ambo 14. ff. de jud lib. 5. tit. 1. L. si duobus 3. Cod. communia de leg. lib. 6. tit. 43. Dixi in officiis sæcularibus: quia in Ecclesiasticis omnino prohibitum est, etiam uti sorte

sorte divisoriâ per cap. Ecclesia 3. de sortilegiis lib. 3.  
tit. 21. ubi dicitur: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.*

## DISPUTATIO XXXIII.

*De Mutuo & Usurâ.*

**M**utuum ita dictum quasi meum tuum, eò quod tradatur res ut acquiratur accipienti & accipiens vicissim obligetur tradere suam rem ut acquiratur ei, qui mutuum dedit, hic contractus vitiatur per usuram, quando ultra illud, quod accepit, à mutuatario exigitur.

## QUÆSTIO I.

*Quid mutuum, quid usura, & quotuplex?*

**D**ICO: *Quædam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, & triticum consumimus eo utendo ad cibum... in talibus per mutuum transfertur dominium.* S. Th. hic Q. 78. a. 1. O.

*Explicatur & probatur:* Describitur mutuum, Datio rei fungibilis pondere numero & mensurâ constantis, quâ transfertur dominium in accipientem, eâ conditione, ut post aliquod tempus obligetur reddere similem in specie & bonitate. *Dicitur 1.* Datio: quia hic contractus traditione perficitur. *Dicitur 2.* Rei numero pondere & mensurâ constantis: quia materia hujus contractus est sola res, quæ functionem in suo genere recipit: id est: quæ in eodem genere habet res ita sibi similes, ut in commutationibus & solutionibus una alterius vice fungi possit, ut vinum, triticum, pecunia. *Dicitur 3.* Qua transfertur dominium: per quod mutuum distinguitur à contractu commodati, in quo non transfertur dominium, sed solus usus conceditur commodatario. *Dicitur 4.* Eâ conditio-